



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 321. An & qualiter stante dubio de morte prioris conjugis contrahens de facto Matrimonium possit petere & reddere debitum, & an tale Matrimonium remanente dubio dissolvendum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



*Quaest. 320. An dubius de morte conjugis transire possit ad secundas nuptias.*

**R**Esp. Negative: Sic expressè deciditur. *c. dominus h. t. ubi: nullus ad secundas nuptias transire praesumat, nisi prius ei constet de morte conjugis ejus.* & ratio est manifesta; quia contractus novi matrimonii cedit in gravissimum praedictum conjugis prioris, si forte adhuc superstes, quique in casu dubio jure suo spoliandus non est; superstes autem, & vivere praesumendus est, quamdiu probatum non est contrarium, ut constat ex *L. ult. c. de SS. Ecclesiis*: contra mors, cum sit quid facti, non praesumitur, sed debet probari ab allegante. *Sanch. L. 2. d. 46. n. 1.* cumque in secundo matrimonio contrahendo sit periculum nullitatis & adulterii; in abstinendo vero nullum, hoc praeligendum est, quamdiu certitudo mortis conjugis non adest. *Pirh. ad tit. de sponsal. n. 132.* & generatim loquendo, quando constat de certa obligatione ad aliquid faciendum, non autem constat de deobligatione seu liberatione ab obligatione, tunc non licet ab obligatione recedere; quia ea est in possessione tanquam certum, & solum dubitatur de cessatione; in praesente casu constat de obligatione prioris matrimonii, non autem de illius solutione; quia non constat de morte prioris conjugis; adeoque in hoc dubio pars tutior eligenda, & judicandum, quod adhuc obliget prius matrimonium. Estque haec sententia communis & certa, juxta *c. in praesentia. de sponsal. ubi DD. omnes*; & quo textu corrigitur jus civile, nimirum *L. uxores. ff. de divort.* quae uxori dubitanti de morte conjugis absentis concedit licentiam nubendi post expectatum quinquennium, vel etiam, ut habetur *L. uxor. c. de repudiis.* post quadriennium.

*Quaest. 321. An & qualiter stante dubio de morte prioris conjugis contrahens de facto matrimonium possit petere & reddere debitum, & an tale matrimonium remanente dubio dissolvendum.*

**1.** **R**Esp. Ad primum: Qui stante dubio, adeoque mala fide transiit ad secundas nuptias (idem est de eo, qui bona fide iniiit matrimonium, & deinde dubitare incipit de morte prioris conjugis) non potest petere debitum; cum nemo uti possit re, de qua dubitat, an sit sua; & qui dubitat, an sit legitimus conjugis, exigendo debitum cum tali dubio, facit contra propriam conscientiam, quam habet ex probabili causa, *c. inquisitioni. de sent. excom.* Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit matrimonium; cum is iusta sua possessione privari non debeat ob malam fidem alterius, quamdiu non constat, matrimonium suum esse nullum; nemo enim sine sua culpa privari debet jure suo. *c. discretionem. de eo, qui cognov. consang.* *Pirh. h. t. n. 3.* juxta expressum textum. *cit. c. dominus. ubi: si aliquis seu aliqua de morte prioris conjugis dubitet, ei, quae sibi nupsit, non denegat debitum postulant, sed ipse nullatenus illud exigat.* Quod si uterque mala fide contraxit secundum matrimonium, neuter potest petere aut reddere debitum ob possessionem malae fidei: sequitur ex dictis, *Sanch. L. 2. de mat. d. 42. n. 8.*

**2.** **R**esp. Ad secundum: Matrimonium secundum contractum cum tali dubio ex parte unius non statim est dissolvendum, quia in *cit. c. dominus.* dicitur, dubitantem teneri reddere debitum, quae reditio est actus matrimonii, quem exercere non pos-

set, si matrimonium esset statim dissolvendum. Neque etiam, dum matrimonium secundum contractum cum dicto dubio ex parte utriusque, seu dubitante utroque; dum enim de valore matrimonii, etsi mala fide contracti dubitatur, standum adhuc pro possessione & valore matrimonii, quamdiu non constat de contrario, tamen si possessio illa contrahentium juris utendi matrimonio sit instructuola.

*Quaest. 322. Num eadem certitudo de morte conjugis requiratur, ut quis propria auctoritate, aut iudicis permittentis auctoritate transeat ad secundas nuptias.*

**R**Esp. Eadem certitudo requiritur, siue propria, siue iudicis auctoritate qui contrahat secundas nuptias, ut probabilis sentiunt *Castrop. tr. 28. d. 4. p. 13. §. 1. n. 3.* & quos citat *Gl. in c. in praesentia. de sponsal. in fine.* *Covat. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 3. n. 3.* *Malfcard. de prob. concl. 104. n. 4.* *Sanch. L. 2. d. 46. n. 6.* *Gut. & c.* contra alios relatos à *Sanch. n. 5.* censentes ad contrahendum matrimonium propria auctoritate sufficere verisimilem probabilitatem; ad contrahendum auctoritate iudicis requiri plus seu majorem certitudinem; pro ratione responsionis dant, quod textus *c. in praesentia.* æquè de utroque casu loquatur, dum dicit: *non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos auctoritate Ecclesiae contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte conjugis*; adeoque certus nuncius requiritur, tam ut Ecclesia permittat eos contrahere, quam ut ipsi contrahere possint.

*Quaest. 323. Qualis igitur & quanta ad hoc requiratur certitudo.*

**R**Esp. Requiritur certitudo moralis, & non sufficit iudicium probabile, seu moralis probabilitas; ita *AA. cit. respon. ad quaest. praecedentem.* ea siquidem, quae generant iudicium solum probabile de morte conjugis insufficientia sunt, ut is jure suo, quod habet, ne se superstiti superinducatur alius conjugis, & possessione privetur; licet enim ad agendum prudenter in iis, quae in nullius cedunt praedictum, sufficiat iudicium probabile, non tamen in iis, quae juri alterius praedictum. *Castrop. l. c.* Neque obstat *c. quoniam ut lite non contest.* ubi dicitur: *Si de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter expectetur, donec de obitu illius verisimiliter praesumatur.* uti nec *c. cum per bellicam. 34. q. 2.* ubi dicitur: *nec tamen culpabilis iudicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit &c.* nam per eostextus exigitur existimatio & verisimilitudo non qualiscunque, sed moraliter certa, ut *AA. iidem.* Notandum tamen, quod habet *Krimer. de mat. n. 1845.* ubi videtur omnino dicendum, in contrahente non tantum ut securus sit in foro externo, sed etiam in foro interno, requiri, quod procedat ex probabilitate prevalente adversus fundamenta, quae sunt in oppositum pro alterius conjugis superstitis vita; nam tali casu & iudex contractum permittere potest, cum in casu dubio tangente praedictum tertii sequatur, quod probabile est. Notandum quoque, quod ait *Pirh. ad tit. de sponsal. n. 135.* ubi valde probabilis est sententia, quod conjugis, si habeat verisimilem praesumptionem & valde probabilem, etsi non omnino certam (subintelligendum videtur *moraliter*) causam credendi, alterum conjugem esse mortuum, licet possit ad secundas nuptias transire. idque confessarius in foro poenitentiae permittere poterit; & paulo post: